

quæ distinctio forte conciliari poterit cum alia clariori, qua jus naturæ est vel absolutum vel hypotheticum.

§. XXII.

*De usu in addiscendo Jure naturali.* Præter hæc quæ dixi, alio quoque ex argumento Juris cultori commendanda venit historia philosophica, scilicet ob usum quem præbet in addiscendo jure naturali, sed hunc cum philosopho Juriscultor communem habet, adeoque non opus est singulatim de eo disserere, eaque anticipando obtrudere, quæ dicentur paulo inferius. Neque necessum est arbitror de necessario juris naturalis studio multa proferre, cum vix nemo de hoc, nisi rabulismi studiosus, dubitet, postquam id dudum docuere viri juris cum divinorum tum humanorum consultissimi, ex quibus ZIEGLERVM, KVLPIIVM, SCHILTERVM, COCCIJVM, SLEVOGTIVM, THOMASIVM, TITIVMQVE nominasse sufficiet. Interim quibus lubet, videri potest D. IMMANVEL WEBER, *m* & D. JACOB. FRID. LUDOVICI, *n* qui, si usum juris naturalis & historiæ philosophicæ jungas, juncti docebunt, quantum hæc ad veram nec simulatam Jurisprudentiam tendentibus sint commendanda.

§. XXIII.

*De usu historie philosoph. in studio medicina.* Pergimus ad medicorum filios, quibus etiam haud inutilem putamus operam futuram, si quam historiæ philosophicæ impendere non gravabuntur. Nescio ego, cur non & his applicem verba C. THOMASII *o* dicentis: *dimidium studii cujusque quemque absolvisse, qui historiam disciplinæ, quam discere satagit, probe callet, præsertim cum videam, quod idem mecum sentiant doctissimi, quos seculum nostrum tulit medicorum.* Hoc enim credo movit Magnificum nostrum GEORG. WOLFGANG. WEDELIVM, ut in physiologia medica *p* succinctam nobis exhibuerit artis medicæ per varias sectas excultæ historiam.

Imitatus

*m* In *specim. observat. ad Pufend. 1701. edito. p. 7.*

*n* In *delineatione historie juris divini.*

*o* In *præfat. ad Jac. Thomas. origines hist. philos.*

*p* *Sect. I. cap. II--VIII.*